

AMPLISSIMO AC

PRVDENTISSIMO SENATVI

Niffensi, Dominis ac patronis suis colendis.

Valentinus Polnerus Niffenus

S. D.



RAECLARE (inquit Cicero) à Platone dictum est : non nobis solum nati sumus, sed ortus nostri partem patria, partem parentes vendicant, partem amici. Quam quidem sententiam, Viri sapientissimi, cum nuper altius mecum considerarem, non potui non summoperè dolere, mihi nondum istam facultatem esse datam, vt communi hominum societati, præcipuè autem patriæ dulcissimæ, pro sententia prodesse possim. Quoniam autem vulgò dici solet : In magnis & voluisse sat est, & is in aliquo gratitudinis ac officij loco habeatur, qui certis quibusdam indicijs suam erga benè meritos, propensam voluntatem testatam facit, non potui non interim exercitio quodam iuuenili, aliquam significationem studij, tum erga totam patriam, tum erga vos ostendere, cū mea studia vobis imprimis probari cupiam. Licet mihi tenuitatis meæ satis conscius, neq; ignorem vestras laudes & scholæ Niffensis nitorem illum elegantissimum à me, vt fieri debebat, describi non posse : malui tamen famæ subire periculū, quàm animi mei erga vos specimen non ostendere. Interim mihi sat erit, me breuibus vestram erga huma-

niores artes & illarum cultores beneficentia, alijs no-
tam fecisse, quamuis istam ipsam quoque Gymnasium,
magnifice extructum, satis superq; testetur. Hoc au-
tem est sapere, non tantum curare, vt teneræ iuuentu-
ti doctissimi quique præceptores præ sint, verum etiam
loci splendore quasi stimulos ad diligentiam addere,
ac iuuenilia ingenia sic excitare benignitate, vt sciant
sibi conatum suorum spem omnem positam esse in bo-
nis Magistratibus. Quod quidem cum sedulo curetis,
confido futurum, vt ex schola vestra tot doctorum vi-
rorum prodeant milia, quot olim armatos equus Troia-
nus reddidit. Caterum enixè vos oro, vt primos hosce
meos conatus, vestris nominibus dicatos, boni consule-
re dignemini, atq; ab obtrectatione maleuolorum vindi-
care. Quod cum fieri intellexero, me maximoperè in-
stigabit, vt non tantum cæpta studia diligentius per-
sequar, verum etiam laudem vestrarum virtutum ce-
lebrare nunquam desinam. Interim me meaque studia
vestræ fidei & benignitati commendo, ac Deum
patrem cælestem oro, vt vos in communem pa-
triæ utilitatem diu seruet incolumes.

Benè valete. *Viennæ Austriæ,*

III. Non. Ianuarij,

M. D. LII.